

hujus casus efficientem, & objectum p̄ um penitus inspiciamus, βάθος sane singulare, expressiones ad vivum rem depingentes (e. g. quod *illorum credentium* (*in concordia*), *unum cor & una anima fuerit*), agnoscimus; Duas quoque quilibet facile animadvertit propositiones, quarum prima se tanquam causa, altera tanquam effectus habet; nimirum, adeo arcta illis fidei, morum & affectuum, ad gratiam Spiritus S. compositorum & susensorum, erat harmonia, ut opes & bona, ad incommoda sublevanda, quæ initia Christianismi secum ferebant, unicuique erant parata; adeoque grata concordia, ut ne quis mussitaret, probe expendens, quantas divitias attulerit meritum Christi.

§. IV.

Scopus & Spiritus S. immediatus ac directus eo vergit, ut nimirum virtutis Verbi Divini ac Mediorum salutiferorum amplius & egregius demonstretur fructus, ac exhibeatur, quomodo hi, per hæc media regenerati, justificati & unione mystica beati, perfecti fuerint ad omne opus bonum, & studuerint, firmam facere vocationem suam & electionem, in id studium omne conferentes, *ut subministrent in fide sua virtutem, in virtute cognitionem, in cognitione vero continentiam, in continentia vero patientiam, in patientia vero pietatem, in pietate vero fraternam charitatem, in fraterna vero charitate dilectionem, ut sic nec segnes, nec infrugiferi constituentur in Domini nostri Jesu Christi cognitione.* 2. Pet. I. 5. 6.

§. V.

Tales præterea hic in censum veniunt, qui vera imbuti cognitione divina, atque quoad singula religionis fundamenta perfecti, adeo pie, caste ac integre
vestigia